



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1661

An celebrans possit elevare Hostiam à se non consecratam n. 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41878

renovationis Eucharistiæ, quorum primo facile occurri potest, exponendo in Pixide, seu Sphæra parvam Hostiam existentem in Sacratio; secundo autem, consecrando aliquot Particulas cum Hostia maiore hæc enim assumpta, & consumpris veteribus formulis, reservari in Sacratio recenter consecratæ ritè poterunt.

An celebrans possit elevare Hostiam non à se consecratam.

2. **S**uboritur item alia questio. Quidam in sua Missa, ob prædictum grandioris Hostiæ defectum, consecravit parvas particulas; timens autem populi offensionem in elevatione sacramenti consueta, elevavit ob suam cautelam, Hostiam grandiore præconsecratam, quæ forte in Sacratio pro Oratione 40. horarum servabitur: Queritur, an id ritè factum fuerit?

H b

21. Mar.

21. Marchantius, negat id esse ritè gestum. Consentitque Diana, a cum enim (ait) in Missa debeat exhiberi populo adoranda eadem Hostia, quæ in ea Missa consecratur, & offertur, talis cautela prædicti Sacerdotis approbanda non est: *melius tamen meo iudicio fecisset* (addit Marchantius) *si majori isti Hostia alteram parvam per illud Sacrificium consecratam simul adiunxisset, quod facile fieri poterat, exhibendo utramque adorandam* Hæc ille.

22. Prof. Etò, ut sunt hominum ingenia diversa, puto minus approbandã hanc posteriorem Marchantii cautelam, quam priorem illius Sacerdotis sum 20 dictam: Inquiror enim, quoddam præceptum urget, vel obligans consuetudo ostendendi eãdem Hostiam adorandam, quæ in eadem Missa consecrata fuit. Fateor ita esse observandum, cum Rubricæ semper supponant eandem,

quam
a Diana ibid. citans. March.

quam consecravit, debere Sacerdotem populo venerandam elevare: at intercedente causa, qualis in casu nostro satis rationabilis apparet, ne cogatur Sacerdos populum instruere, qui fortasse de ostensione minoris Hostiæ offensus fuisset, vel quid simile, non video cur talis Rubrica solum directiva negligi sine culpa non possit, ut accidit in omnibus similibus directivis, quando adest rationabilis negligendi causa, ut ex supradictis c. 5. §. 2. colligi potest. Quod si potest, jam superfluum erit posterius illud remedium conjungendi parvam cum Hostia grandiore. Adde hoc posterius esse, saltem implicite, contra, vel extra Rubricas, per quas nunquam ostenditur, nisi una grandior Hostia, quare tu, conjungendo duas, non facis juxta Rubricas, ego ostendo præconsecratam nec facio juxta easdem, ergo pares sumus, ergo saltem non erit unum altero consultius.

23. Illud certe probandum nullo pacto est, quod quidam Parochus, dum ei Hostia grandior cōsecrata non suppeteret, ad eam exponendam in oratione quadraginta horarum imprudenter egit. Parvameniam consecratam Hostiam affixit Hostiæ grandiori non consecrata, & ita simul exposuit, ne scilicet parva formula in sphaerula apparet populo, qui sacerdotem de negligentia præparandi maiorem reprehēdisset. Hoc, inquam, nō est probandum, quia esset periculum Idololatriæ, quamvis materialis, (cum fideles adorent totum illud, quod expositum est per modum vnius) quod nullo modo licet, vt in simili de Parocho ostendente Particulam consecratam, & deinde ministrante peccatori occulto Particulam non consecratam alibi dictum a est, & videri potest apud Delugo. ^b

Quam

a In Opusc. de exp. com. c. 2. §. 2. n. 22. b Delugo de Sacr. disp. 8. sect. II. n. 188.